

terræ centrum ad eum orbis magni ad planetam, situm peruenerit, ubi angulus diurnus reflexionis lineæ veri loci planetæ in antecedentia, æqualis existat angulo diurno propriæ diuersitatis in consequentia: Ibi nanque duobus se perimentibus motibus planeta statione prima per aliquot dies, pro ratione orbis magni ad eccentricum planetæ propositi, ipsiusq; planetæ in suo orbe situm, propriaque motus sui velocitate stare apparebit. Porrò ab hoc item loco terrâ propiore factâ planetæ, fit vt planetam regredi, & in antecedentia moueri credamus, ipsa quippe reflexione notabiliter proprium planetæ motum superante, idq; eo vsq;, quo terra perigium verum planetæ respectu orbis magni contingat, ubi planeta in medio repeditionis loco, oppositioni Solis, terræq; proximus consistet. Quo in situ Mars repertus, præter communem, ratione orbis magni, reflexionem, seu diuersitatem aspectus, etiam aliam insuper (propter perceptibilem quantitatem eius, quæ ex centro terræ ad ipsius distantiam) aspectus diuersitatem admittit, quemadmodum diligens testabitur obseruatio.

Pro confirmatione huius, quæ ex Copernici hypothesebus sequitur, longissime contrariæ vsitatis hypothesebus sententiæ, lubet apponere, quæ excellentissimus Nobilis Mathematicus Tycho Brahe, Danus, suis experimentis obseruauit, quibus tanquam à peritissimo Artifice habitis obseruationibus vtique fides derogari non potest. Is in Epistola ad D. Peucerum Anno 1588. data, sic scribit. *Constitui periculum facere, quæ nam earum, quæ hæcenus inuenta erant* (hypotheseum, Ptolemaicarum sc. vel vsitatarum: vel à Copernico traditarum: vel eorum qui homocentricorum figmentum commenti sunt) *veritati propius accederet. Idq; per Martis potissimum stellam me expiscari posse confidebam, quando nimirum ea acronycha terra appropinquaret. Si enim nobis propius accederet, quàm ipse Sol, Copernianam speculationem praualere: Sin minus, cum Ptolemaica potius standum arbitrabar. Tandemq; magna diligentia, nec paruis sumptibus, conquisitis varijs organis astronomicis, quibus siderum motus centraliter, non saltem in ipso scrupulo, sed etiam in eius dimidia vel quarta parte explorari certò possent, hanc subtilem considerationem aggredi non verebar. Idq; potissimum Anno 1582. cum Mars pernox factus Soli opponeretur in cancro, & insuper per boream latitudinem sublimior quotidiano circuitu redderetur. Habitis igitur tunc pluribus accuratis obseruationibus, tam circa ortum, quàm occasum, eiusq; per meridiana transitum, deprehendi, Martem maiorem causari parallaxin, quàm ipsum Solem, ideoq; etiam terris propinquiorem, cum acronychus est, fieri, astipulante vnà motu ipsius diurno, cum Copernianis potius numeris consentiente, è quò paulò celerius certo dierum interuallo in antecedentia repedaret, quàm Alphonsinorum concederet à Ptolemao deducta ratiocinatio: Idq; ob minorem à terris distantiam, quæ motum paulò intentiorem apparere efficiebat. Id cum in Marte satis, exploratum haberem, & idem etiam in*

Venere

*Nota de Marte. Is terra factus proximus parallaxin admittit. propior enim terra ipso Sole fit.*